

Johann Cothmann Christoph Decker

Disputatio ... De Praedestinatione ...

Disputatio Quarta Partis Secundae : Qua Homines renatos gratia Dei, seu fide excidere posse, contra Zanchium, Wendelinum & alios omopsphus : ... ad diem XV. Martii

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738080349>

Band (Druck) Freier  Zugang



DISPUTATIO QUARTA
PARTIS SECUNDÆ,
DE
PRÆDESTINATIONE.

41.

QUA
Homines renatos gratiâ DEI, seu fide
excidere posse, contra Zanchium, Wendeli-
num & alios ὁμοψύχους, probatur

Quam
Auxilio DEI Trinunius

PRÆSIDE
JOHANNÉ COTHMANNO,
S. S. Theol. D. & P. P.

Publicè proponit
CHRISTOPHORUS DECKER,
Hamburgensis.

In Auditorio Majori ad diem XV. Martij.



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO epochæ Dionysianæ ∞ 100 XLIII.

R. U. - theol. 1643 Cothmann, Johann / c

VIRIS

Magnifico, Nobilissimis, Reverendo, Amplissimis, Consalutissimisq[ue]

DN. JOHANNI BRANDT,

DN. HENRICO von Anthen/

Illi J. U. L. & inclita Reipubl[ic]
Hamburgens[is] Patria Consuli fi-
delissimo; Huic vero J. U. D. &
Ecclesie Cathedralis, quae est
Hamburgi, Canonico Seniori gra-
vissimo; Utriq[ue] studiorum suo-
rum Patrono munificentissimo;

UT ET

Reverendis admodum, Clarissimis, Doctissimisque
DN. NICOLAO HARDEKOP. Rev. Ministerij Ham-
burgens[is] SENIORI, & ad D. Nicol. PASTORI meritissimo.

DN. JOHANNI MÜLLERO, S. S. Theol. Doct. ac Ec-
clesiæ Petrinæ ap. Hamburgenses PASTORI vigilantissimo.

DN. M. SIGISMUNDO P. SCHELHAMMERO,
Ecclesiæ Hamburgensis,
& Illi quidem ad D. Petri;

DN. JODOCO CAPELLEN,
His vero ad D. Cath. Ec-
clesiasticis, ut dignissimis,
DN. M. HENRICO JANICHIO, lita fidelissimis.

NEC NON

Integerrimis, Prudentissimis, Spectatissimisq[ue]
DN. NICOLAO Schulten/ in Rep. Hamb. resp. XII. Vi-
ro, & S. S. Corporis & Ecclesiæ Petr. JURATO fidelissimo.

DN. ALBERTO Schulten/ Civibus, Patriiis ac Nego-
DN. JOACHIMO Beckmann/ tiatoribus ap. Hamburgens-
DN. ERICO von Spreckelsen/ ses florentissimis, &c.

Hiscè Omnibus & Singulis DNN. Macenatibus, Fantoribus ac
Promotoribus suis Maximis, hincq[ue] omni Observantiã
jugiter prosequendis, Disputationem hanc Theologicam
in signum grati pro innumeris acceptis beneficiis ani-
mi, ulterioremq[ue] sui & suorum studiorum commenda-
tionem, quam humilimè cum hoc voto

Iph. 1. v. 4. O DEUS, in CHRISTO electi qui dicimur omnes,
Quæso, favore tuo fac nostrum ne excidat ullus,
Atq[ue] tuum in fœdus rursum nos suscipe lapsos!

Consecrat, Dedicat.

RESPONDENS,





Absolutis, **D**E I gratia, tribus illis in articulo prædeterminationis Universalibus requisitis; Universalis scilicet Dei gratia, universalis Christi merito, & universalis ad gratiam & meritum, vocatione, *Quæstio πολυθρύλλητος* est subjungenda: an verè sancti & renati, seu fide justificante præditi, gratia illa Dei, sive fide, quam semel ex Dei verbo habent, excidere queant. Ut autem in hac controversia inoffenso pede eò melius progrediamur, initio distinguimus inter renatos & electos. Quamvis enim adversarii illa confundant, omnemq; renatum electum esse asseverent, sicuti videre est, ex Catechet. *Ursin. p. 384.* Hinc *Wendelin. ait cap. 30. p. 262.* reprobos fide justificante nunquam donari. *Et p. 160.* renati nulli sunt nisi electi: id tamen falsissimum esse, disputationis hujus cursus plenius demonstrabit. De renatis ergò dicimus, illos totaliter & finaliter, sicut Judas proditor, ut & *πρόδοται Luc. 8. v. 13.* deficere posse. De electis verò affirmamus, illos quidem totaliter ad tempus, ut David, Salomon, Petrus, Aaron &c. à fide desciscere posse, finaliter interim, quia *πρόγνωσις* Dei falli nequit, *Rom. 11. v. 2.* & fundamentum Dei firmum, habens hoc signaculum: novit Deus qui sunt sui *2. Timoth. 2. v. 19.* nunquam gratia divina excidunt *Matth. 24. v. 24.*

2. Adversarii in hac materia ita sunt operosi, ut illam sententiam: renatos sive sanctos gratiam Dei semel possessam amittere posse, infamem causam appellent, ut videre est ex *Wendelino cap. 28. p. 251.* Quamvis ipse Zanch. de perseverantia sanctorum p. 359. rei veritate convictus, fateatur: vere sanctos peccatis quodammodo inimicos Dei fieri, & à gratia Dei excidere. Et subjungit: sanctos peccantes, intus sentire conscientiam se accusantem, **D**EUM sibi esse iratum, & se reos mortis factos. Et in divinatæ

H

aeternæ

æternæ mortis sententiam incurere. Quæ ingenua confessio, vacillantis animi est indicium, sicuti suo loco plenius videbimus.

3. Fieri autem posse, ut verè renati sive sancti, fidem semel donatam amittant, & ex speciali Dei gratia excidant, hisce probamus immotis fundamentis. Quorum primum desumitur ex iis Scripturæ locis, quibus innuitur in verè sanctos cadere quandoq; peccatum regnans. Quod demonstratur 1. ex concessione Zanchii sanctos ita peccare posse concedentis, ut sentiant conscientiam accusantem, Deum iratum, & mortis æternæ reatum. Hinc ita colligimus: Qui ita peccat, ut conscientia peccantem accuset, & Deus peccanti ita irascatur, ut se æternæ mortis sententiam incurere sentiat, ille peccat peccatum regnans. At prius, teste Zanchio ex loco, Theol. præcedente citato, verum est de quibusdam sanctis. Ergò sanctos peccare peccatum regnans, negari nequit.

4. Majoris consequentia probatur ex Scriptura, quæ respectu primi membri, conscientia scilicet testatur, Christum conscientiam sanctorum purgasse à mortuis operibus *Hebr. 9. v. 14.* ac conscientiam illorum malam depulisse *c. 10. v. 22.* hinc bonam habent conscientiam *c. 13. v. 18.* & bona illorum conscientia, bene respondet Deo, *1. Pet. 3. v. 21.* utpote nullius peccati, contra conscientiam commissi, sibi conscii *1. Cor. 4. v. 4.* student enim *ἀπεὸς συνείδησιν ἔχειν*, habere conscientiam sine scandalo *Act. 24. v. 16.* & quidem *ἀπεὸς τὸν Θεὸν, καὶ τὰς ἀνθρώπους ἀπὸ παντός*, versu eodem, conf. *Act. 23. v. 1.* Tenent ergò mysterium fidei, cum pura conscientia *1. Tim. 3. v. 9* & bona *1. Tim. 1. v. 5.* Hæc Scriptura de sanctis qua talibus, totidem verbis affirmat: è contrà ait homines bonam conscientiam expellentes, fidei facere naufragium *1. Tim. 1. v. 19.* & cauterio notatam habere conscientiam *1. Tim. 4. v. 2.* illorum conscientiam esse pollutam *Tit. 1. v. 15.* imò, Scriptura teste, quicquid sit titubante conscientia, tam grave peccatum est, ut illud committens, nec poenitentiam agens, propterea condemnatur *Rom. 14. v. 23.* Si ergò id inest, quod minus, multo magis id inerit, quod majus, id est, si actio quæpiam, dubitante seu hæsitante conscientia, commissa, Scriptura prævia, sine præmissa poenitentia damnat, multa magis ista opera non hæsitante, sed planè

planè reclamante, & contradicente conscientia perpetrata, damnant & gratiam Dei excutiunt. Hinc *Ursin. in Cat. p. 602.* peccatum contra conscientiam, & regnans pro eodem accipit.

5. Deinde qui ita peccant, ut Deum verè iratum sentiant, in illis exulat fides, & fiducia in Deum, qui enim in Christum credit liberatus est ab ira. *Theß. 1. v. 10.* inq; Dei irati iudicium non veniet *Joh. 5. v. 24.* justificati enim fide pacem habent *Rom. 5. v. 1.* idq; juxta Christi promissionem *Joh. 16. v. 33.* ideoq; ab ira Dei servantur *Rom. 9. v. 9.* Qui verò sibi malè agendo colligunt iram Dei, ii demum Deum sentient iratum *Rom. 2. v. 5. 8.* super ejusmodi enim manet ira Dei *Joh. 3. v. 36.* quæ venire solet super filios intractabiles *Col. 3. v. 6.* conferantur alia Scripturæ loca, quæ Dei irati faciunt mentionem. Unde patebit, iram & gratiam Dei semper esse opposita. *Conf. Joh. 3. v. 36.*

6. Tandem, qui eo gradu delinquunt, ut æternæ mortis sentiant reatum, in eos cadere peccatum regnans, negari nequit. Qui enim in Christum credunt, in iis vivit Christus *Gal. 3. v. 20.* & illi habent hoc testimonium, Deum dedisse sibi vitam æternam in filio, *Joh. 1. v. 12.* Et cor eorum eos non condemnat, sed fiduciam habent erga Deum. *Joh. 3. v. 21.* Quia ergo Christus est vita æterna *v. 20.* certè, qui in sua conscientia convictus est, se ita frænum laxasse peccato, ut sententiam & reatum æternæ mortis in sua conscientia incurrat: Hic quomodo à peccato regnante liberari queat adversarii viderint, pugnant enim extreme: aliquem habere testimonium: datam sibi vitam æternam, & se illam habere, *Joh. 5. v. 11.* & simul filialem fiduciam possidere *Joh. 2. v. 21.* Et eundem incurtere in divinam æternæ mortis sententiam, cujus reatum intus experiatur. Hanc veritatem agnoscens *Ursin. in Cat. p. 613.* fatetur renatos quoq; ruere posse in peccatum regnans, quo fiat ut excludatur ex corde fiducia remissionis peccatorum, & peccans obnoxius fiat æterno exitio, nisi in hac vita fiat conversio. Quæ certè ingenua *Ursini* confessio, contra *Zanch. Wendelin.* & alios, horum similes, asterisco venit notanda.

7. Negat autem *Zanch. de persever. sancto p. 371.* in renatos cadere peccatum regnans, prorsus enim impossibile esse, sanctis

peccatum dominari. Et subjungit hanc allegato loco rationem: quod ubi regnet justitia & Christus, quomodo illic possit regnare peccatum, & per peccatum Satan. Respond. confundit Zanch. renatos stantes sive qua tales, ac renatos cessantes, sive donum renascentiæ per peccata excutientes. De renatis qua talibus, in quibus Christus per fidem habitat. *Eph. 3. v. 17.* & in iisdem vivit *Gal. 2. v. 20.* qui spiritu ambulant, & concupiscentiam carnis non perficiunt *Gal. 5. v. 16.* verissimum est, quandiu in eis regnat Christus & justitia, quod eodem tempore non regnet in illis peccatum & injustitia. Quod enim consortium justitiæ & injustitiæ? aut quæ concordia Christo cum Belial? *2. Cor. 6. v. 14. 15.* Et hoc respectu nulla, inter nos & adversarios est controversia. Lubentes enim concedimus, ubi renati sunt, & manent, qui à gratia Dei non excidunt *Gal. 5. v. 4.* in iis non regnare peccatum. Hæc autem est ἀξιμῆ hujus disceptationis: an renati & Christo tanquam veræ viti fide insiti, qui postea in eodem nō manent *Joh. 15. v. 6.* sed patiuntur sensus suos corrumpi à simplicitate quæ erat erga Christum. *2. Cor. 11. v. 3.* & se, abicientes fiduciam in Christum, subducunt *Hebr. 10. v. 34. 38.* à gratia Dei deficiunt *Hebr. 11. v. 13.* & à Deo vivente desciscunt *Hebr. 3. v. 17.* an tales peccati dominium admittant. Id Scriptura & veritate prævia affirmamus, negat contra scripturam Zanch. Wendelin. & alii. Sed quam verè disputatio hæc plenius docebit.

8. Urget verò Zanch. allegato loco: quod si in renatos cadat peccatum regnans, tum Satanam fore Christo fortiorem, ut pote qui regnum Christi occupet. Illud autem falsum esse Lucam *6. 17. v. 22.* testari. Quia ergò Christus fortior Satana, ideo regnum ejus per Satanam in sanctis occupari & subverti non posse. Resp. argumentum nihil aliud concludit quam Christum Satana fortiorem, ideoq; non posse Satanam homines illi non consentientes, à Christo abducere. Malè verò hinc concluditur: homines ipsos Diabolo auscultantes seseq; seduci patientes, non posse à Diabolo *μυεϊοτίχην*, à tramite veritatis, relicta rectâ viâ, abduci. Id enim fieri posse testatur Petrus *2. Epist. c. 2. v. 15.* Hinc Scriptura toties nos adhortatur, ut bono cordis propositio perseveremus adhæ-

adhærere Domino *Act. 11. v. 23.* fieri enim posse ut καὶ ἐξοχῆν
 dictus ὁ περιπαλῶν ita tentaret quosdam, ut labor fidelium Dei
 ministrorum, in conversione hominum impensus, inanis fiat.
1. Theß. 3. v. 5. ita ut homines Evangelii doctrinam abjicientes fru-
 stra crediderint *1. Cor. 15. v. 2* excidentes à propria stabilitate gratiæ
2. Pet. 3. v. 17.

9. Et quid in re manifesta, multis opus est verbis, ubi rerum
 adsunt testimonia satis illustria. Πρωτοπαλῶν enim nostrorum
 lapsus luculenter satis testatur, posse hominem, Diabolo auscultare,
 & à veritate semel agnita abduci. Regerit Wendel. *p. 267.* ex-
 emplum hoc esse alienum, protoplastos enim nostros in inno-
 centiæ statu fuisse constitutos, quos ex edicto Dei unicum pec-
 catum æternæ mortis reos faciebat. Sanctis autem in statu repa-
 rationis, Deum peccata non imputare *2. Cor. 5. v. 19.* Resp. 1. Sicuti
 unum peccatum protoplastos nostros fecit mortis æternæ reos.
 Ita unum peccatum regnans, hominem extra statum gratiæ col-
 locat, verissimum enim manet: Qui committit peccatum, ex Dia-
 bolo est *1. Job. 3. v. 18.* Et sicuti, qui ex Deo natus est, non peccat.
1. Job. 5. v. 18. imò quamdiu talis, non potest, (studio & ex propo-
 sito) peccare *1. Job. 3. v. 9.* quia servat seipsum *1. Job. 5. v. 18.* &
 Diabolo seducere volenti fide resistit. *1. Pet. 5. v. 8.* Quod si verò
 hæc ratio militaret: Deus peccata electorum (secundum Calvi-
 nianostantum) illis non imputat, sed in Christum conjecit. Itaq;
 non possunt gratia Dei excidere. Ergo inferam: Paulus blasphe-
 mus, & persecutor, & violentus, *1. Tim. 1. v. 13.* quoniam non ne-
 gantibus adversariis Deus peccata, utpote in Christum conjecta,
 ipsi non imputavit, fuit actu in gratia & habuit fidem, ut & Ma-
 nasse, latro in cruce &c. Quod quia absurdum est, agnoscat Wen-
 delinus collectionis suæ imbecillitatem, utpote quæ gratiam Dei
 tantum æstimat à parte causæ promerentis, & non simul respicit,
 homines salutem & gratiam apprehendentes. Qui tamen seipfos
 aliquando vita æterna, atq; sic gratia Dei & fide privare *Act. 13. v.*
46 & consilium Dei de sua ipsorum, salute negligere possunt *Luc.*
7. v. 30. Quod attinet *2.* statim innocentia, is nostram potius
 confirmat quam destruit sententiam. Si enim Diabolus, non ob-

stante potentia Dei majore, utpote infinita, potuit tamen hominem, aures sibi præbentem, ad imaginem Dei creatum rectum *Ecles. 7. v. 30.* in justitia & sanctitate *Eph. 4. v. 24.* in verâ Dei agnitione *Col. 3. v. 10.* seducere: cur idem multo magis non posset postquam homo illa integritate excidit, & semper in hac infirmitate, sanctus licet & renatus, luctam carnis & spiritus in se experitur *Gal. 5. v. 17.* in qua pugna ancipiti sæpè prælio decertatur, ita ut quandoq; homine consentiente Diabolus sit superior *Luc. 11. v. 24. 25. 26.* Salva interim manente divina potentia, infinitis partibus Diaboli limitatam, & certis terminis circumscriptam potentiam superante. Deus enim qui alias est *שׁוּר לְאֵלֵי גֵן Gen. 17. v. 2.* & *πρωτογενέτωρ Apoc. 1. v. 8.* cui nihil est impossibile *Luc. 1. v. 37.* hoc in negotio non agit, nec acturus est, secundum potentiam suam absolutam, sed ordinatam. Principio enim cum Deus condidit hominem, apposuit ipsi ignem & aquam, id est, liberum creavit. Quodcumq; ergo placuit, eligere potuit *Syr. 15, v. 14.* & seqq. sine ulla potentia divinæ diminutione.

10. Wendelin. vim hujus argumenti persentiscens, mavult negare approbatum hætenus principium, quam veritati manus victrices præbere: negat enim primos nostros parentes totaliter gratia Dei excidisse. Verba ejus hæc sunt *p. 31. p. 267.* primos nostros parentes totaliter à Deo defecisse, gratiaq; Dei prorsus excidisse, non concedendum esse arbitror. Sed qui sic Wendeline? cur id negas, quod hætenus unanimiter Ecclesia Christi credit, & ex verbo Dei probari potest? Omissis brevitate ergo testimoniis humanis, quæ magno numero, etiam ex propriis sodalibus & *Lib. 1. cap. 9. Christ. Theologia. p. 198. 199.* Cujus libri ipse auctor es, peti possent. Ex sola scriptura probamus, primos nostros parentes totaliter & prorsus, ad tempus licet, gratia Dei excidisse: Qui enim volens & sciens, præceptum Dei transgreditur, ita ut eo ipso incurrat poenam illam divinitus dictatam *Gen. 2. v. 17.* *מֵת הָמוּת* moriendo morieris, quæ, interprete Paulo, ipsam simul cõdemnationem *Rom. 5. v. 16. 18.* inclusam habuit. Et ipsam mortem spiritualem imprimis denotat. Quæ & in protoplastis, & omnibus eorum successoribus subsecuta fuisset, nisi promissio seminis

Gen.

Gen. 3. v. 17. illam pœnam avertisset. Ille inquam totaliter & profusus gratia Dei excidit. At prius &c. Ante conversionem in illo statu positi, in quo Adam post lapsum fuit, dicimur versari in tenebris, esse in potestate Satanae, *1. Th. 2. v. 18.* & tenebrarum *Col. 1. v. 13.* mortui peccatis & natura filii iræ *Eph. 2. v. 1. 3. 5.* Quomodo itaq; Adam & Eva, in tali conditione jam descripta constituti post lapsum, non excidissent ad tempus, prorsus & totaliter gratia Dei? Et unde timor servilis Adamo exortus fuisset *Gen. 3. v. 10.* Ut nil dicam hac ratione enervari finem adventus Christi in carnem, qui ipso teste fuit, servare quod perierat *Luc. 19. v. 10.* Et dicente Symbolo Nicæno: Christus descendit de cœlis, propter nostram salutem, pro qua teste Athanasio, passus est. Finge cum Wendelino: primos nostros parentes totaliter à Deo non defecisse, neq; prorsus gratia Dei excidisse. Et finem in carnationis, quantum in te est, enervasti, cum tamè non malè dicente *Bucano Loc. 25 p. 204.* Christum, quatenus vas noster erat, non cū morte communi, sed cum inferorum copiis aternæq; mortis horrore, quasi consertis manibus luctatum fuisse. Hinc utiq; Adamum & Evam totaliter & prorsus gratia Dei ad tempus excidisse evincitur.

II. Quod & Apostolus indicat, dum metuit quosdam Corinthiorum eandem Apostasias sortem experturos, quam Eva seducta à Diabolo sensit, *2. Cor. 11. v. 3.* Sed negat Wendelinus à Paulo comparari justitiam originalem, cum justitia fidei, respectu Apostasias ab utraq;: sed fraudes serpentis cum fraudibus pseudo-prophetarum. Resp. unius inclusio non est alterius exclusio. Hic autem utrumq; fieri textus apertè indicat. Non enim hoc loco collationem tantum institui fraudis, quod contendit Wendelinus, sed & imprimis Apostasias, Aretius in h. l. fatetur, dum inquit: constat argumentum comparatione. Serpens decepit Evam; Sic vos deceperunt falsi Doctores. Bullingerus in h. l. eandem veritatem agnoscit, dum inquit: quemadmodum olim serpentis astutia simplicem Evæ mentem corrumpit vitiata puritate, in qua fuerat condita, ita per Pseudo-Apostolorum versutiam, vestra quoque simplicitas corrumpitur, ut degeneretur ab illa puritate, qua hætenus estis usi erga Sponsum Christum Jesum. Et Ambrosius

ait;

ait: seductores non esse audiendos quia corrumpere fidelium corda à veritate conantur. Principium autem petit Wendelin quando subjungit: Pseudopphetas Corinthios à iustitia fidei non potuisse abducere, quia hæc semel possessa nunquam amittatur, Si enim fatente & concedente Wend. potuerunt falso doctores nonnullos Corinthiorum ab agnita veritate abducere, cur non simul à fide, cum fides illa nihil aliud fuerit, quam agnita illa veritas, quæ per sermonem veracem Evangelii genita fuit *Col. 1. v. 5.* Hinc quando Paulus ait Deum velle omnes ad agnitionem veritatis venire *1. Tim. 2. v. 4.* nihil aliud dicit, quam ut prævia verà notitià in Christum credant *1. Joh. 3. v. 23.* Johannes in *2. Epist. v. 2.* cum mentionem facit cognitionis veritatis, nihil aliud intelligit quam fidem in Christum, dicit enim *v. 9.* omnis qui manet in doctrina Christi hic patrem habet & filium, quod non fit sine fide. Summa: Scriptura Sacra, quando mentionem facit agnitionis veritatis, semper includit fidem, ut locorum collatio docet, *1. Tim. 4 v. 3. Tit. 1. v. 1. 2. Tim. 3. v. 7.* Hinc increduli dicuntur circa veritatem aberrare *2. Tim. 2. v. 18. Jac. 5. v. 10.* eidemq; resistere *2. Tim. 3. v. 8.* imo adempta illis dicitur esse veritas. *1. Tim. 6. v. 5.*

12. Hactenus ergò probatum est: cadere quando peccatum regnans in illos, qui antea fuerunt sancti & renati, eo quia contra conscientiam nonnulli peccent. Ad id reponunt adversarii, non omnem qui peccat contra conscientiam, iustitiam priorem desere. Contra conscientiam enim duobus modis peccari. 1. Cum quis tota & plena voluntate peccatum vult, approbat, amat, & proinde nulla ejus tanquam pessimæ rei poenitudine ducitur. 2. Cum quis peccat voluntate non plena. Ut de se Paulus conqueritur ad Romanos: priori modo sanctos non peccare ita *Zanch. p. 371.* & ex eo Wendelin. *cap. 31 p. 296.* Respond. Sanctos quales in veritate stantes, non committere peccatum regnans & voluntarium, antea concessum est. Verum sanctos à veritate deficientes, idem tamen facere posse, tristissimi sanctorum hominum lapsus, ut Ursinus loquitur ostendunt. Et in specie allegat Ursinus exemplum Aaronis, vitulum aureum facientis. Et Davidis, adulterium & homicidium committentis.

13. Ad prius exemplum responder Wendelinus consensisse quidem Aaronem in idololatriam, sed ex formidine populi. Itaq; inquit, consensus hic plane voluntarius non fuit. Unde à vero DEO penitus Aaronem defecisse, nefas esse asserere ait. Respond. 1. ipse Wendelin. agnoscere cogitur externos Idololatriæ actus Aaronem exercuisse. Unde immotè colligitur, illum à vero DEO penitus ad tempus defecisse, omnis enim Idololatra (quà talis) penitus à DEO vero deficit. At Aaron fuit Idololatra. Ergò penitus à DEO vero defecit. Major est indubitata veritatis 1. Quia Idololatria est opus carnis *Gal. 5. v. 20.* quod Spiritui opponitur. 2. immediata & directa DEI & Diaboli datur oppositio. Unde impossibile est, Deo servire & mammonæ *Matt. 6. v. 24.* 3. Idololatra non habet hæreditatem in regno Christi *Gal. 5. v. 21. Eph. 5. v. 5.* Sed illius pars (nisi respicere) erit in stagno ardente igne & sulphure *Apoc. 21. v. 8.* Ergò immotè hinc colligitur illum gratiâ Dei penitus excidisse. Imprimis cum dicente Piscator. in h. l. homines se per Idololatriam in æternum exitium præcipitent. Nec juvat Wendelin. fortè id Aaronem fecisse. Primò enim textus per se remotâ glossâ humanâ satis clarus est, ut hinc Rivetus non malè dicat comment. in *Exod. p. 262.* Deus factum Aaronis damnavit, & in eum graviter exanduit.

14. At, inquis, formidine populi consensus. Respondet Rivetus: Quicquid sit de violentiâ populari, & metu quo fortasse posset excusari à tanto: cum tamen, qui sua auctoritate debuisset populum reprimere, & mille mortes potius subire, quàm in illud scelus consentire, nedum sua auctoritate approbare cultum profanum pretioso ornatum & velatum titulo, non potest sine præjudicio juris Dei à grandi peccato absolvi. Hinc Calvinus de Aarone inquit comment. in *Ex. p. 1222.* criminis infamia in eum jure confertur, cujus *præcipuus erat auctor*, cum suâ culpâ religionem & cultum prodiderit. Et Piscator hac de re ait: non excusatur (Aaron) si importunâ flagitatione populi se vinci patiatur, ut ei gratificetur in re impiâ. Arguitur enim hic à Mose gravissimi peccati, quod populo esset gratificatus inin-

ficua-

fituendâ Idololatriâ, cui fortiter debuit resistere, tanquã in magistratus. Unde patet Aaronem non fuisse coactum ad exercendam Idololatriam, sed ad nudam populi denuntiationem consensisse in factum hoc Idololatricum. Et ne quis dubitet Aaronem Idololatram, eoq; ipso Apostatam, gratiã Dei excidisse, audiat ipsum Moſen, illud affirmantem *Deut. 9. v. 20.* Unde ita inferimus: cui Deus tantopere irascitur, ut illum perderet, ille gratia Dei excidit. At prius verum est de Aarone. Ergo. Quod ex ipso Wendelino ita ulterius confirmamus. Quicunq; ipse exercuit actus Idololatriæ, excidit gratia Dei. Prius de Aarone verum est, ex concessione Wendelin. Posterius ergo jure negari nequit.

15. Davidem quoq; virum licet juxta cor Dei, graviter peccando gratiam Dei perdidisse, eoq; ipso fidem penitus ad tempus extinxisse, in propatulo est. Quamvis autem contradicentes negent, Davidem fidem penitus extinxisse, & Spiritum S. prorsus excussisse. Id tamen evidenter constat. 1. Quia David committendo homicidium & adulterium, secundum carnem vixit, & Spiritu facta corporis non mortificavit. Hinc colligimus: qui secundum carnem vivit, & Spiritu facta corporis non mortificat, ille spiritualiter moritur, eoq; ipso gratia Dei excidit. Major est Apostoli *Rom. 8. v. 13.* subsumo. At David adulter & homicida secundum carnem vixit, & spiritu facta corporis non mortificavit. Ergo David adulter & homicida, spiritualiter mortuus, eoq; ipso gratia Dei excidit. 2. Qui committit opera carnis perfecta, hæreditatem (quamdiu talis est & manet) regni Dei non habet. At David commisit opera carnis perfecta. Ergo hæreditatem regni Dei non habuit, & consequenter fidem amisit. Conf. *Gal. 5. v. 21.* 3. Nullus homicida voluntarius habet vitam æternam in se manentem. Hæc major est Johannis 1. *Ep. 3. v. 15.* At David fuit homicida voluntarius 2. *Sam. 11. v. 15. 25. c. 21. v. 9.* Ergo non habuit vitam æternam in se manentem. 4. Qui odit fratrem suum, in tenebris spiritualibus *Joh. 1. v. 5. Eph. 5. v. 8. est 1. Job 2. v. 9. 11.* At David (occidendo Uriam) odit fratrem suum. Ergo in tenebris spiritualibus fuit, & consequenter luce fidei caruit.

16. Ex-

16. Excipit *Wendelin* p. 281. Davidem non peccasse ex toto animo, & pleno voluntatis consensu, & ex destinata malitia. Respond. distinguendo inter initium peccati Davidici, & ejusdem progressum & complementum. In initio largimur luctam sensitse sine dubio Davidem, carnis & Spiritus: ita tamen, ut non diu certamen illud duraret, Spiritu à carne divicto. Postquam ergo in progressu & complemento peccati, in illa pugna, Spiritu suppresso, caro superior extitit, David concupiscentiam carnis perfecit, toto animo & pleno voluntatis consensu, sine ulla Spiritus & carnis lucta: pugna enim suum finem, cum jacet hostis, habet. Et si considerasset *Wendelin*, progressum & complementum peccati Davidici, nunquam eundem plenam voluntate peccasse, negasset. 1. vidit mulierem ad concupiscendum carnem, 2. *Sam. ii. v. 2.* atq; sic adulterium volenter & scienter commisit in corde suo *Matt. 5. v. 28.* 2. nec ibidem substitit, & hos motus inordinatos repressit, quod tamen omnino facere debuisset, si fidem retinere voluisset: sed ex plenitudine potestatis, tanquam rex nulli parens, adulterium, jam ante in corde commissum, opere externo volens perfecit *v. 4.* atq; ita concupiscentia Davidis peperit peccatum, quod ubi perfectum & absolutum fuit, sine dubio peperit mortem. vide *Jac. 1. v. 15.* Intelligens David peccatum adulterij, subsequuto partu, non fore occultum, illud 3. omnibus modis palliare studuit, Uriam ex militia (ut pallium malitiae esset) evocando, & ad invisendam uxorem tribus vicibus adhortando *v. 8. 10. 11. 13.* Et cum illud singulari, sine dubio, Dei providentia non succederet, 4. literas dat Joabo de Uria interficiendo: praecipit enim, ut ex adverso praeliatorum, fortissimorum adhibeatur, & derelictus ac percussus moriatur & interficiatur *v. 15.* cognitam autem morte illius, tantum abest, ut doluerit propterea David, ut potius bono animo fuerit *v. 25.* dicendo: ne mala videatur in oculis tuis haec res, nam hujusmodi ratione solet gladius consumere homines. Conferatur Musculus in 51. Psalmi vestibulo, ubi graphicè peccatum Davidis describit & exaggerat.

17. Dic Wendeline; conscientiam enim tuam appello, quid adhuc arbitreris deesse huic Davidis peccato ita perfecto & consummato, quò minus non dicatur, pleno voluntatis consensu, & destinata malitia commissum, certè si quis peccat sciens volens, ita ut iudicio proprio sit vir mortis. 2. *Sam. 12. v. 5. 6.* & peccatum commissum studet tegere mendaciis, quatenus simulat se benè cupere Uria, dum eum ad invisendum uxorem hortatur, & perpetrato insuper homicidio voluntario, in securitate sua & impænitentiâ etiamnum perseverat, peccatum perpetratum contra mentem Spiritus S. 2. *Sam. 12. v. 9.* extenuat, ille utiq; pleno voluntatis consensu delinquit. Hinc ipse Wendelin. in *Christianâ Theol. cap. 1. cap. 11. Tb. 7. p. 216.* peccatum regnans non malè describit, cui peccator per Spiritus S. gratiam non resistit, vel ut Bucanus loquitur *Loc. 16. p. 169.* cui homo frenum laxat. Quæ descriptio consentit Apostolo affirmanti *Rom. 6 v. 12.* peccatum regnans esse, cui obeditur per cupiditates ejus. Quia ergò David non resistit peccato, quod tamen facere potuisset, imò debuisset, sed volens obedivit cupiditatibus ejus, & ei frenum laxavit: inde immotè, Davidem peccatum regnans commisisse, concludimus.

18. Verùm Wendelin. ex pænitiâ Davidis, quæ *Psal. 51.* describitur, contrarium colligit. Post commissa enim enormia peccata toto pectore ad Deum redit, invocat nomen Domini, peccata confiteretur, mundari se ab iis petit, omnia illa sunt fidei & Spiritus post peccata sese recolligentis. Ad pænitentiam autem David se accingere non potuisset, si Spiritu planè privatus fuisset. Et quia novit Wendelin. jam ante à Theologiis responsum, precationem hanc institutam, postquam David excussum Spiritum objurgatione Nathanis prophetæ recuperavit. Negare id quidem vult, sed nullo addito fundamento. Ipse enim Calvini in h. l. negare non potest, Davidem per annum, post admissum gravissimum scelus in lethifero torpore jacuisse, quem Nathan suâ objurgatione expergefecerit. Quod ergò David pænitentiam egit, id non adscribendum est Spiritui S. gratio-

gratosè ante pœnitentiam in Davide gravissimè peccante habitanti, sed Nathàn's Prophætæ objurgationi, cui David malitiosè non obstitit, atq; sic Spiritus S. gratiosè in Davide ante commissa peccata habitans, & per delicta ejus atrocissima expulsus redijt, ac Davidem convertit. Ante pœnitentiam David perpetuo stupore jacuit oppressus, ut Mollerus loquitur in hunc psalmum, securus adhuc sine omni timore Domini, post occisum Uriam adulteram ad se sumit, illaq; delectatur, & in ea securitate tam diu durat, dum puer nascitur, quæ sunt verba Musculi: vel ut Nathan impulsu Sp. S. inquit *2. Sam. 12. v. 6.* David ante pœnitentiam verbû Dei contempsit, faciendo malû in oculis ejus, Uriam gladio malitiosè percussit, ejusq; uxorem sibi sumpsit. Annè talia peccata perfecta ac consummata, scienter & volenter, tot circumstantiis aggravantibus commissa Spiritum S. gratiosè inhabitare permittunt? opera carnis perfecta & fructus Spiritus sibi invicem opponuntur. Adulterium autem malitiosum & voluntariû, ac ex singulari proposito commissum homicidium esse opera carnis, de quibus Apostolus ait: qui talia agunt, regni Dei hæredes non sunt *Gal. 5. v. 21.* nemo jure negabit, nisi forsan quis cum concilio Trident. *sess. 6. p. 54.* fideles adulteros ceterosq; omnes læthalia peccata perpetrantes agnoscat.

19. Regerit Wendelin. non obstare, quod scriptura homicidas & adulteros de regno Dei excludat, cum loquatur de impœnitentibus, qui peccata hæc non ex imbecillitate committunt. Resp. Davidem in progressu & complemento peccati ex imbecillitate peccasse *ἀπορως* negavimus antè, nec id ullâ ratione solidâ probari potest. Quod autem David finaliter non exclusus fuerit è regno cælorum, quia pœnitentiam seriò egit, illud non probat Davidem homicidam voluntarium, & adulterum malitiosum & pessimû: per annum tamen impœnitentem, non excidisse jure regni cælorum ad tempus. Lazarus *Joh. 11. v. 21.* & Eutychus *Act. 20. v. 9.* aliq; rectè ad tempus dicuntur mortui, licet è morte revocati. Ita David spatio illo annuo, antequam egit pœnitentiam, spiritualiter mortuus ad tempus fuit, quia totaliter

realiter secundum carnem vixit *Rom. 8. v. 13.* Et carnem cum affectibus & concupiscentiis non crucifixit *Gal. 5. v. 24.*

20. Replicat loco citato Wendelin: Davidem precari ne auferatur Spiritus, non autem ut reddatur. Item: ne abjiciatur à facie Domini, & deinde petere, non restitui sibi ipsam salutem, sed lætitiã tantum salutis. Hinc colligit Davidem propter peccata à facie Dei non fuisse abjectum. Respond. 1. in genere à Davide converso, ad convertendum non valet sequela. Antea probatum est, Davidem per annum fuisse impænitentem, & nunc demum conscribentem *Psal. 51.* factum fuisse pænitentem. Sicuti ergo Manasse, rex antea extreme impius, in captivitate constitutus egit pænitentiam *2. par. 33. v. 13.* Non quod semen quoddam Dei & pietas, ut *Zanch. loquitur. p. 366.* in eo fuerit: illud enim scriptura planè negat *2. Reg. 21. v. 11.* Ita David sciens volens, peccatis longè atrocissimis indulgens, & per annum impænitens manens, audita concione & objurgatione Nathanis Prophetæ, pænitentiam egit, & in gratiam, unde per peccata regnantia exciderat, rediit. 2. In specie, David jam conversus non potuit orare: reddi sibi Spiritum Sanctum; utpote qui in ipsa conversione jam antè redditus fuit. Id autem potuit petere, ne auferatur, sicuti antea factum est, & sicuti peccata gravissima illud promeruerunt, ut ex antea adductis satis superq; constat. vide. *Th. 16. 17.* Et si Spiritus S. nulla ratione potuisset auferri, cur David tam anxie ne auferatur petiisset: certè quod nulla ratione fieri potest, id sollicitè non peto, ne fiat; securus enim sum fieri non posse. Petitio ergo Davidis manifestè indicat, fieri potuisse ut auferatur Spiritus Sanctus. Hinc 70. interpretes sensum hunc optimè reddiderunt, non per verbum simplex ἀνέλγης sed *μὴ ἀρτανέλγης*, ne rursus auferas, conf. *Luc. 2. v. 38.* agnoscit id Mollerus dicens: amiserat David Spiritum S. per peccatum. Idem sentiendum est de illo, quod David petit ne abjiciatur à facie Dei. Hinc certè colligimus, illum à facie Dei benevolà impænitentiæ tempore fuisse abjectum, licet jam sit in gratiam receptus. Id indicat Scriptura, quando Davidem in oculis Domini

mini malum fecisse ait 2. Sam. 11. v. 27. 6. 12. v. 9. quæ certè eff
periphrasis hominis, à facie Dei benevolâ ad tempus exclusi, sic
uti perpetua scripturæ collatio docebit. Qui enim mala faci
unt (adulterium & homicidium volenter committendo) illi
quamdiu tales, non sentient faciem Dei benevolam & pater
nam, seu favoris, sed potius experiuntur faciem Dei iracundam
& furoris, juxta Petrum 2. Ep. 6. 3. v. 12. Tandem quod petit
David jam conversus, sibi restitui lætitiâ salutis, non ipsam
salutem, ideo factum est, quia conversione salutem jam
ante de novo acceperat. Petit ergò nunc lætitiâ salutis &
confirmationem gratiæ sibi restitui, vel ut Musculus ait: læti
tiâ animi de bonitate, gratiâ & benevolentia Dei, sibi denuò
dari cupit.

21. Tandem inquit Wendelin. 1. Qui natus est ex Deo, non
peccat; quia semen Dei in eo manet. David autem ex Deo natus
fuit. E. 2. fieri posse, ut Spiritu reclamante à carnis cupiditate
renati sæpè abripiantur, quod in persona sua ostendat Paulus
Rom. 7. v. 14. & seqq. Ad primum repetenda est distinctio inter
renatum stantem ac cessantem. Renatus quam diu talis est &
manet, peccatum (sciens & volens) non committit. Quoniam
itaq; hætenus probatum est, Davidem scientem & volentem, in
oculis Domini malum fecisse, & ex contemptu verbi divini pec
casse: hinc invictè, Davidem tum temporis ex Deo natum non
fuisse, colligitur. Ex fructibus enim cognoscitur arbor. Et non
potest arbor bona fructus malos producere Matt. 17. v. 18. Da
videm itaq; impænitentem, quia fructus pessimos edidit, arbo
rem malam aliquandiu temporis fuisse, rectè colligitur. Bonus
enim homo bona ex thesauro cordis promit. At malus homo
mala Matt. 12. v. 35. Ad secundum respondemus, distinguendo
inter peccatorum gradus, de quibus Jac. 1. v. 14. 15. agitur. Largi
mur in renatos, quâ tales, cadere quosdam gradus, utpote ad ma
lum tentationem, inescationem, peccati conceptionem &c. qui
bus tamen moribus ἀνίμοις, renati quamdiu tales sunt & ma
nent, semper resistunt: nec cupiditatibus carnis frena laxant.

Et

Et hac de re *Rom. 7.* agitur Cum verò ulteriùs progrediuntur, & peccatum mente conceptum perficiunt & consummant, eiq; consensum præbent sicuti à Davide factum, notantur *Jac. 1. v. 15.* immota enim Apostoli est regula: Qui secundùm carnem vivit, nec Spiritu facta corporis mortificat, ille moritur. *Rom. 8. v. 13.* subsumo: David committendo adulterium & voluntarium homicidium secundùm carnem vixit, neq; Spiritu facta corporis mortificavit. Ergò eo ipso mortuus fuit. Quod demonstrandum fuit.

22. Et qui hæctenus duobus illustribus Aaronis & Davidis exemplis ad oculum probatum est, cadere quandoq; in verè sanctos peccatum regnans, ideòq; posse eosdem à gratia deficere. Idem thema deinceps alijs exemplis, & clarissimis scripturæ locis confirmabimus. Inter exempla proximum locum occupet Salomon, quem gravissimè peccasse extra dubium ponunt contradicentes, adeò quidem, ut de salute ejus nonnullos dubitare Wendelinus concedat. Quibus licet non astipulemur, ad tempus tamen Salomonem gratiâ Dei penitus & totaliter excidisse, affirmamus, hoc invicto usi argumento, quod licet Wendelinus unicum vocet, est tamen satis firmum, ut instat multorum esse possit. Nullus voluntarius & apertus Idololatra est in Dei gratiâ. At Salomon voluntarius & apertus est Idololatra *1. Reg. 11. v. 1.* & seqq. Ergò non est in Dei gratiâ. Major ex *Gal. 5. v. 20. Eph. 5. v. 5. Col. 3. v. 5. Apoc. 22. v. 15.* patet, & constat insuper ex immediatâ oppositione cultus veri Dei, & cultus Idolorum. *Matt. 6. v. 24. 1. Cor. 10. v. 21.* Minor, ex historia *1. Reg. 11. v. 1.* & seqq. liquet.

23. Wendelinus excipit dicendo fidem Salomonis fuisse vehementissimè labefactatam, & pietatem illius enormiter læsam, non tamen omne fidei semen, penitus è pectore Salomonis excidisse, sed aliquam pietatis scintillam mansisse reliquam. Respondeo distinguendo inter fidem historicam & salvificam, verâ in Deum fiducia & amore filiali constantem. Priorem in Salomone, sicuti & in ipso Diabolo est *Jac. 2. v. 19.* mansisse largimur.

gimur. De posteriore illud pernegamus. Quomodo enim in corde illius, cujus animus inclinatus fuit post Deos alienos, id est, qui fuit apertus Idololatra, & malum fecit in oculis Jehovæ, ædificando altaria Idololatræ, non Deo alieno Uni, quod tamen fidem excussisset, sed omnibus suis faminis adolentibus & sacrificantibus dijs suis, Sidoniorum, Moabitarum, Ammonitarum &c. id est, explicante Apostolo, ipsi Diabolo 1. Cor. 10. v. 20. maneret fides? Quomodo serviens Diabolo, eiq; cultum spontaneum contra tot divinas revelationes & prohibitiones deferens, potest habere formam fidei justificantis? quæ rectè dicente *Bucano Loc. 29. p. 283.* est fiducia in misericordiam Dei propter Christum, seu *ἰσχυρισμός*, firma fiducia, & *ἰσχυρολογία*, certa persuasio de gratiâ Dei Patris erga nos. Difficultatem hanc videns *Zanch. de persev. sanctor. p. 354.* fidem non definit per fiduciam, sed per virtutem gratis in corda electorum infusam, contra *Ursinum in Catech. dicentem. p. 107.* fidem esse fiduciam, quâ nobis applicamus Christi meritum. Quamvis autem *Zanchius* fidem per fiduciam non definiat, illam tamen fidei ita arctè adjunctam esse ait, ut de remissione peccatorum, salute & vitâ aeternâ certi, Deum solum in nostris necessitatibus invocemus, & illum amore prosequamur. *Anné Salomon* manifestus Idololatra verum Deum relinquens, & eundem ad iram concitans, & amore uxorum alienigenarum inductus, Deos alienos apertè colens, Deum solum Israëlîs in necessitatibus suis perpetuo illius amore affectus, veneratus est? Idololatra Diabolum colens & amans, ille quantum in se est, teste primo præcepto, Deum verum odit & ignominia afficit. Atq; sic veram in Deum fiduciam, & filialem amorem & propensionem, id est, fidem abjicit, gratiâq; divinâ excidit. Quomodo enim ille, deferens Deum creatorem cali & terræ, ac argentum & aurum, quæ sunt simulacra gentium *Psal. 115. v. 3.* illius loco venerans, non abjiceret fiduciam, sive fidem in Deum verum Israëlîs. Quî in N. T. respectu beneficij proximioris, unde plerunq; solet fieri denominatio, dicitur Pater Domini nostri Jesu Christi 2. Cor. 11. v. 31.

24. *Wendelin.* ut thesin suam tueatur, mansisse scil. in Salomone

K

monc

mone fidem & scintillam pietatis, distinguit externam Salomonis
 Idololatriam in gestibus, ritibus & factis externis idololatricis ex-
 ercendis sitam, ab internâ totali aversione animi à vero Deo, quem
 antea satis noverat, positâ. Consensisse igitur Salomonem in exter-
 nam illam idololatriam, & intolerabili dicente Wend. prorsus hypo-
 pocrisi videri voluit, Deū Israël's animo penitus ejurasse, & faminarū
 suarū idolis adhærere, reclamante conscientiâ. Non igitur totâ vo-
 luntate, & pleno animi consensu malum hoc à Salomone patratū.
 Resp. Si verum esset, Salomonem à Deo vero interno animo non
 fuisse totaliter aversum, sicuti Wendelinus censet, quomodo scri-
 ptura affirmaret, uxores alienigenas Salomonis, quas quoq; contra
 mandatum Jehovæ duxerat *Exod. 34. v. 16.* inclinasse לבבו cor sive
 animum ejus post Deos alienos *1. Reg. 11. v. 4.* Et Dominum irasū
 fuisse Salomoni יהוה נטה לבבו מעם יהוה vel ut *70.* loquuntur
 ὅτι ἐξέκλινεν ἡ καρδία αὐτῶ ἀπὸ κυρίου θεοῦ Ἰσραὴλ *v. 9.* ut non so-
 lum uxorum suarum idololatriam, fatente Piscat. in h. l. juverit ac
 promoverit, sed etiam socium illius Idololatriæ sese præbuerit.
 Certè qui id facit, internâ totali aversione, à vero Deo deficit. Pla-
 nè enim impossibile est, hominem juvantem ac promoventem,
 Idololatriam, ac se socium illius scienter volenter præbentem,
 posse retinere fidem, seu fiduciam filialem in Deum verum, sed eo
 ipso totali aversione internâ à vero Deo deficit, & idolis, id est Dia-
 bolo adhæret; non enim simul & semel Deo & Diabolo servire pos-
 sumus *Matt. 6. v. 24.* Salomon autem Rex Israël non agnoscens
 in suo regno superiorem, volens non coactus hoc fecit, plectus
 & seductus illicito faminarum contra legem Dei ductarum (quibus
 Diabolus tanquam instrumentis, ut quondam serpente, ad sedu-
 cendum Salom. usus) amore. Nec voluit tantum videri Idololatra,
 sed reverà, faminis animum ejus post Deos alienos inclinantibus,
 ut scriptura loquitur, talis fuit. Posito autem, non verò concessō,
 Salomonem exercuisse intolerabilem hypocrisim. Annè arbitraris
 Wendeline, tam insignem, tam intolerabilem, ut loqueris, hypo-
 crisim posse cadere in verè sanctum ac renatum, & simul subsistere
 filialem in Deum fiduciam? Credidi, inquit David *Psalms. v. 1.* pro-
 pter

pter quod locutus sum, & nos credidimus, propter quod loquimur, ait Apostolus 2. Cor. 4. v. 13. corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem Rom. 10. v. 10. Quia ergo Salomon non ostendit fidem suam ex factis Jac. 2. v. 18. sed committendo mala opera, manifestè ostendit se non esse ex Deo, nec esse Dei filium. 2. Joh. 3. v. 10. eo ipso enim dum in cultu ipso idololatrico voluit, seposito Deo, placere impiis mulieribus, servus Dei esse non potuit. Gal. 1. v. 10. Et consideret Wendelinus elogia hypocritarum, passim in scripturis occurrentia, & reapse videbit, hypocritam intolerabilem non habere filialem erga Deum fiduciam, sive fidem. Ne longè abeamus, ex multis locis sufficiat unus, qui hanc rem expediet Matt. 24. v. 51. ubi conditio omnium hypocritarum in genere, quam diù tales sunt & manent, describitur, quod eò (nisi penitentiam agant) pertineant, ubi est ploratus & stridor dentium. Quae damnationis aeternae est descriptio Matt. 8. v. 17. c. 22. v. 13.

25. Sed conatur Wendelin. probare Salomonem totà voluntate & pleno animi consensu malum non patrassè. 1. quia hæc ~~amoris~~ in electos & sanctificatos Dei filios non cadat. Respond. petitur principium, & contrarium invictè hætenus probatum est, dum antea quosdam sanctificatos secundum carnem totaliter vixisse, eoq; ipso à gratiâ Dei defecisse Hebr. 12. v. 14. ad oculum ostensum fuit. 2. quia vehementissimo cæci amoris affectu abreptus, se in societatem Idololatriæ pertrahi passus fuerit. Resp. Quia Salomon plus amavit fæminas alienas, quàm ipsum Deum, & in illarum gratiam cultum solius veri Dei, à quo tamen innumeris beneficiis fuit affectus, mutavit: ideo excidit Dei favore, & fiduciam filialem planè excussit Matt. 10. v. 37. dum enim voluit amicus esse mundi, id est, uxorum alienigenarum, inimicus Dei constitutus est Jac. 4. v. 4. conf. 1. Cor. 7. v. 29. Itaq; deserens Salomò cultum veri Dei, elegit cultum Diaboli, non enim inter illa duo datur medium; sunt enim immediatè opposita, vide Jos. 24. v. 15. 16. 17. 1. Reg. 18. v. 21. Et monstret Wendelinus, si vir est, aliquè corde adhæsisse vero Deo, qui cultum externum, volens, sciens, sine ullâ coactione in gratiam impiorū exhibuerit Diabolo, id est, idolo. Apostolus ne quidem Diabolum

bolum vera dicentem patienter audivit *Act. 16. v. 18* multò minus
 ergò cultus externus illi salvâ fiduciâ filiali exhiberi potest. Sama-
 ritanos si quis produceret, *2. Reg. 17. v. 33. 41.* illi Wend. quod sponte
 fatebitur, nò patrocina buntur. Alios autem in proscenium non ad-
 ducet, qui gestibus, ritibus & factis externis, spontè non coactè, sci-
 entes Diabolum coluerint, & tamen intèrno corde Deum vene-
 rati sint. Hac ratione posset quis profiteri Turcismum, Arianis-
 mum, Judaismum, & tamen in corde Deo adherere. Quod quàm sit
 absurdum, quilibet videt. Et eo ipso dum largitur Wendelin. Spir-
 ritum à carne in Salomone victum, concedit nobis quod volumus.
 In renatis enim duo sunt: caro & Spiritus, & illa duo sibi invicem
 perpetuò, quam diù renatus est & manet, adversantur *Gal. 3. v. 17.*
 quando verò Spiritus à carne vincitur, quod in Salomone factum
 fatetur adversarius, *p. 278.* atq; ita caro Spiritu subactò dominium
 obrinet in homine, atq; is obedit illius cupiditatibus *Rom. 6. v. 12.*
 cessat esse renatus: servus enim est peccati *v. 16.* faciens enim pecca-
 tum, servus est peccati *Jab. 8. v. 34.* & à quo quis superatus est, huic
 etiam in servitutem est addictus *2. Pet. 2. v. 19.* Nec juvat Wendeli-
 num Salomonem non consensisse, si absq; cæco & violento amoris
 impetu fuisset. Resp. quid tum postea, & quid hinc concluditur? !
 Adam non fuisset seductus, nisi amore conjugis id factum, & Eva
 non decepta, nisi versutia serpentis sive Diaboli tanta fuisset. Num
 uterq; excusatur eo nomine: aut negatur penitus excidisse gratia-
 Dei? Et Galatæ non seducti, nisi ab aliis fascinati *Gal. 3. v. 1.* li de
 quibus Petrus loquitur *2. Pet. 2. v. 18.* ab aliis inescati. Sed urget ulti-
 mo loco versionem, ubi dicitur Salomonem non planè secutum
 esse Jehovam, non igitur ait penitus à Jehova defecit, aliàs com-
 paratio inter ipsum & patrem institui nulla posset. Resp. quod in
 fonte, neq; secundùm verba, neq; secundùm sensum habetur, id pa-
 ri facilitate rejicitur, quâ astruitur. At voces *non planè*, vel ut Ju-
 nius legit: *neq; plenè* in fonte neq; secundùm verba, neq; secun-
 dùm sensum habentur. Ergo &c. Absolutè enim dicitur: Salomo-
 nem non secutum Jehovam sicut David pater ejus. Comparatio
 ergò instituitur non majoris & minoris, sed rei planè dissimilis.

Hoc

Hoc modo: Salomon voluntarius fuit Idololatra, & cor ejus à Jehova in gratiam uxorum alienigenarum falso cultu fuit aversum. In eo planè patri dissimilis, qui licet graviter peccarit in moribus, tamen non erravit in doctrinà: non enim fuit Idololatra, nec in gratiam alicujus hominis veri Dei cultum vel tantillum mutavit, sed quod religionem spectavit, mandata Dei custodivit *1. Reg. 14. v. 8.* neq; cunctis diebus vitæ suæ ab omnibus (quæ cultum concernebant) præceptis declinavit *1. Reg. 15. v. 5* sicuti ergò Apostoli & reges comparantur *Luc. 22. v. 25.* in re planè dissimili: ita Salomon & David &c. Atq; hæc exempla pro ratione instituti ex V. T. adducta sufficiant.

26. Ex N. T. in acie collocamus tristissimum lapsum Petri, quem gravissimè peccasse concedunt adversarij, licet à fide in Christum penitus defecisse constanter negent. Quod tamen scripturâ præviâ affirmamus, hoc usi argumento. 1. Quicumq; ter, locis ac tempore distinctis, sciens volens abnegavit Christum, & abnegationem anathematismo & juramento, sine manifesto periculo confirmavit, ille gratiâ Dei excidit, & fiduciam in Christum filialem amittit. Prius verum est de Petro. Posterius ergò negare nequit. Major constat ex oppositione abnegationis juramento conjunctæ & naturæ fidei, gratiæ Dei & fiduciæ filialis, inter quæ teste ipso Witack. Diametralis, datur pugna. Ubi est & manet vera fides in Christum, ibi addito juramento & anathematismo, distinctis vicibus non abnegatur, sciens & volens imprimis extra manifestum periculum Christus. Quod enim corde creditur, confessione oris exprimitur *Rom. 10. v. 10.* in casu imprimis requisitæ confessionis. Parati enim esse debemus ad respondendum cuilibet petenti *1. Pet. 3. v. 15.* Hinc *Cal. in Cap. 12. Job. p. 138.* negat fidem & confessionem posse separari, & subjungit fidem vivam in corde liberè & intrepidè confiteri Christum. Inexcusabilem enim esse timiditatem, quæ à confessione vel minimùm deflectere nos cogit. Marlorat. idem affirmat in *Cap. 12. Job. p. 469.* vera & viva fides à confessione non separatur. Quia ergò Petrus cum maximè Christum Dominum suum confiteri debebat, eundem vitæ suæ metuens prævio

juramento addito anathematismo, palam omnibus audientibus, *Mar. 14. v. 68. 69. 70. 71. Matt. 26. v. 70* negavit, proinde illo tempore gratiâ Dei excidit, & fidem amittit. Qui enim Christum negat, *2. Pet. 2. v. 1. Jud. v. 4.* hunc vicissim Christus negat coram Patre cælesti *Matt. 10. v. 33. 2. Tim. 2. v. 12.* Quoniam itaq; Petrus annexâ execratione, & interposito hortibili juramento, quod dicente in h. l. Calvino, crimen triplicavit, coram omnibus dixit: non novi hominem (Christum.) Utiq; Christus illo puncto temporis, durante execrandâ illâ abnegatione, gratiâ suâ Petrum non est prosequutus. Dum enim Petrus animam suam voluit servare illam perdidit, id est, gratiâ Dei excidit *Matt. 16. v. 20.* Nam qui in casu confessionis non odit animam suam, non potest Christi esse discipulus *Luc. 14. v. 26.*

27. Negat autem Wendelinus Majorem, cum non quævis abnegatio faciat excidere aliquem à gratiâ; Christum enim *Matt. 10. v. 33.* loqui de abnegatione, cum quis re bene deliberatâ veritatem abnegat, nullo subito & inopinato periculi metu victus & adactus, sed spontè, habitâ secum deliberatione conservandæ vitæ, & dignitatis retinendæ. Resp. 1. scriptura sacra hanc limitationem non addit, sed nudè ait: quisquis negaverit me, hunc ego negabo. Quemcunq; puduerit mei in generatione hac adulterâ & peccatrice, pudebit illius & filium hominis *Mar. 8. v. 38.* Qui animam suam vult servare, perdet illam *Matt. 16. v. 25.* & qui in periculis non odit vitam suam, non potest Christi esse discipulus *Luc. 14. v. 16.* Qui in persecutionibus quamcunq; rem aliam amaverit supra Christum, non est illo dignus *Matt. 10. v. 37.* Hæc autem omnia Petrus fecit. Ergo, Scripturâ præviâ, perdidit animam, non potuit Christi esse Spirituâlis discipulus, non fuit Christo dignus & consequenter fide excidit. 2. posito autem, restrictionem Wendelini hic obtinere: & illa in exemplo Petri, consideratis accuratè textus circumstantijs, locum habet. 1. Petrus spatium deliberandi habuit satis diuturnum: fuguram enim illius abnegationem Christus ipsi prædixit, ut tela prævisa minùs ferirent. Cumq; ille temerariâ aliquâ virium præsumptione permotus, id audacter, interposito vitæ suæ pignore negaret, atq; ita obliquè Christum falsitatis argueret, responsum tulit:

lit: tu Petre, qui cæteris meis discipulis videri vis animosior, hac jam instante nocte, priusquam gallus bis cecinerit, ter me non negatione simplice, sed anathematismo & horribili execratione aggravatâ, negabis. Habuit igitur Petrus aliquot horarum, & ad minimum quatuor, deliberandi spatium, & inopinanter & subito hæc abnegatio non est facta. Sed sciens & antè admonitus, ut loquitur non malè Calvinus, se in hoc peccatum præcipitavit. 2. metus quoq; periculi tantus non fuit, ut Dominum & redemptorem suum tantâ execratione, additis diris anathematismis, negaret. Nam nondum ad Pontificis tribunal tractus, nondû hostes vim aliquam illi intulerant, aut mortem præsentaneam minati fuerant, quam tamen ceu invictus athleta sustinere, viribus suis humanis confidens, antèa paratissimus erat. Sed ad vocem, eamq; non adeò minacem, inermis ancillæ, statim primo conflictu, tanquam meticulosus miles, arma sua spiritualia abjicit, & coram omnibus Christum Dominum in aulâ Pontificis abnegat. Et cùm alia ancilla Petrum cum Christo fuisse repeteret, simplici negationi addidit in vestibulo Pontificis juramentum. Postquam verò alij stantes verba ancillæ confirmabant, usq; ad execrationem & horribilem anathematismum descendit, affirmando: se non novisse hominem illum Christum. Quæ verba Calv. in h. l. ita exponit. Malè peream, si quid mihi commune est cum salute Dei. Quia ergo Petrus sciens & volens, ad præcavendam mortem imaginariam, animam & corpus exitio devovit, & sibi maledictionem Dei sine aliquâ urgente necessitate imprecatur, utiq; fide ad tempus excidit.

28. Reponit Wendelinus, abnegationem Petri fuisse tantùm externam & oralem, cum quâ fides in corde consistere queat. Respond. antea *Th. 26.* probatum est, fidem in corde & confessionem externam, in casu imprimis requisitæ confessionis, indivulso nexu esse conjuncta. Hac ergo oris & cordis harmoniâ nihil est pulchrius. Ubi itaq; unum deest, ibi de alterius præsentia frustra quis gloriatur. Imprimis cum, fatente ipso *Wittakerø, Tom. 1. p. 696.* nullum peccatum magis cum fide pugnet, quàm Christum abnegare, qui materia, scopus & objectum fidei est. Unde ipso
Wit-

Wittack. arbitro loco allegato, Petri perjurium, blasphemia & apostasia omnes majoris culpæ causas & circumstantias habet, quàm fædissimum, & omni reprehensione pænâq; dignissimum Davidis adulterium & homicidium.

29. Sed urgetur Petri salutaris statim insecuta pænitentia, quæ ἐναγκαλιστὴν ὁπείραται τῆς πίστεως in Petro mansisse inferat. Respond. negando consequentiam. Non enim valet: Petrus sine ulla vi, ut loquitur *Marloratus p. 205.* perjurus, blasphemus, & apostata egit postmodum pænitentiam. Ergò in illo mansit fides. Lacroix in cruce, Manasses, quo nullus regum, fatente *Zanchio p. 366.* plus idololatriæ contra Dominum inexit, vel sanguinis prophetici fudit, & ipse Apostolus Paulus, antea Saulus dictus, minas ac cædem adversus Domini discipulos spirans *Act. 9 v. 1.* egerunt pænitentiam: tamen in nullo horum, antea actam pænitentiam fuit fides. Subsequens ergò Petri pænitentia nihil aliud probat, quàm eundem intuitu admonitum Christi, rediisse in viam rectam, à qua per horribilem & cum blasphemia conjunctam voluntariam abnegationem, & nefandam execrationem, sciens & volens deviàrat. Quemadmodum ergò Paulus accepit mandatum convertendi homines, à tenebris ad lucem, à potestate Satanæ ad Deum. *Act. 26. v. 18.* non quod in illis ante conversionem fuerit fides, utpote quam primùm per conversionem & pænitentiam habere debebant: Ita in certo tertio Petro quoq; contigit. Quorsum enim aliàs spectarent verba Christi *Luc. 22. v. 32.* Et tu conversus confirma (tuo exemplo) fratres. Ubi itaq; novà opus est conversione, ibi præcessitaversio. At in Petro novà opus fuit conversione. Ergò. Respondet Wend. Petrum à Christo aversum, quoad oris confessionem, & fidei professionem, non verò quoad fidem in corde radicatum. Respond. sicuti nullà datur communitio luci cum tenebris *2. Cor. 6. v. 15.* ita quoq; nullà datur participatio fidei salvificæ in corde alicujus radicata, & ejusmodi voluntariæ extra insigne imprimis vitæ periculum abnegationis, cum horribili execratione & blasphemia conjunctæ. Ufide vis veritatis coegit Marloratum, ut in cap. *Luc. 22.* scribat: potest dici fidem Petri ad tempus evanuisse. Et cogita Wendeline quomodo

modo in Petro, quem nulla vis urgebat, ut ita dejeraret, sicuti loquitur Marloratus, fides manserit radicata in corde, qui ad nuda ancillarum verba, non adeo minantia, Dominum suum, pro quo animam ponere, & mortem subire, & carcerem ingredi antea paratus erat *Matt. 26. v. 35. Mar. 14. v. 31. Luc. 22. v. 33. Job. 13. v. 37.* horribiliter tribus vicibus ejuravit, ita quidem ut, dicente *Calv. p. 339.* ad mille abnegationes paratus fuisset, nisi Dominus linguas hostium cohibuisset. Quomodo in illius corde eo tempore fides potuit dici mansisse radicata, quo omnia fidei salvificæ directè opposita sive repugnantia, in eodem summo gradu viguerunt? Voluntaria cum horribili blasphemiam, & nefandam execratione conjuncta Christi abnegatio, ad miseræ vilisq; puellæ verba, ut Chrysostomus loquitur *in Matt. Hom. 86. p. 202.* fidei diametraliter adversatur. Ergo fides, quæ est Christi receptio *Job. 1. v. 12.* & acceptio *Col. 2. v. 6.* vel ut Bucanus loquitur *Loc. 26. v. 276.* apprehensio, quâ nobis, dicente *Ursin. in Catech. p. 107.* certâ fiduciâ applicamus Christi meritum, h. e. certò statuimus, justitiam seu meritum Christi nobis quoq; donari & imputari, cum voluntariâ Christi rejectione seu abnegatione *Job. 12. v. 48.* additâ horribili execratione & blasphematione, nullo modo subsistit. Sicuti ex utriusq; requisitis patet.

30. Regeritur. Si verè Petrus Christum negavit, sequeretur utiq; illum fuisse damnatum, & Christum vicissim coram Patre eundem negasse. Quos enim coram Patre suo Christus abnegat, eos certissimum manere exitiû *Matt. 7. v. 23.* Resp. nisi Petrus verâ conversione ad Christum, quem horribiliter ejurarat, reversus fuisset, Christus illû planè abnegasset, & ita salvari non potuisset. *conf. syn. Dor. p. 771.* Quod ergo Petrus salvatus, id non ascribendum fidei, tempore horribilis & voluntariæ abnegationis in corde suo manenti seu latenti, sed pœnitentiæ subsecutæ, quâ fidem amissam recepit. Quod si enim quis quæreret, anné Petrus sine conversione salvari potuisset? sine dubio cû *syn. Dor.* negativè respondendum esset. Quod si verò in corde Petri fides mansisset radicata, etiam sine subsecutâ pœnitentiâ salvari potuisset. Universaliter enim verum est: Qui credit, non condemnatur *Job. 3. v. 18.* Quia itaq; necessariò concedendum, Petrum

sine poenitentia (quæ fuit lapsorum, non verò stantium) non fuisse salvatum, sequitur quoq; ante illam in Petro non mansisse fidem.

31. Sed ad Patres provocat Wendelin. p. 284. Er in specie Tertullianum in proscenium producit, Libro de Fugâ in persecutione dicentem p. 540. tantum non permissum esse Diabolo, ut fides Petri periclitaretur. Respond. fides Petri non fuit periclitata, respectu finalis perseverantia. De illâ enim ipso Wendelino interprete, Tertullianus loquitur. Hinc autem minimè infertur, ad tempus fidem Petri non defecisse. Sicuti enim non sequitur *Joh. 11. v. 4.* Christus morbum Lazari non fore ad mortem ait. Ergo Lazarus non fuit mortuus: Ita non sequitur, fides Petri finaliter non periclitata. Ergo non ad tempus defecit. Lazarus verè mortuus, *v. 11. 13. 14.* &c. licet morbus ejus non fuerit ad mortem, scilicet perseverantem, jam jam enim in vitam revocandus, conf. *Matt. 9. v. 24.*

32. Augustinum secundo profert ex *Tom. 7. de corrept. & Grat. cap. 6.* Resp. ipsa verba Augustini loquuntur similiter de perseverantia. Quid enim, inquit, ei rogavit, nisi perseverantiam usq; in finem. Illa autem perseverantia finalis, fatente ipso Augustino, patitur defectum fidei temporalem, sicuti eodem libro *Cap. 7. p. 791.* disertis verbis affirmat. Fides, inquit, quæ per dilectionem operatur, profecto aut omnino non deficit: aut si qui sunt (arripe aures Wendeline) *quorum deficit*, reparatur antequam vita ista finiatur, & deletâ, quæ intercurrerat, iniquitate, usq; in finem perseverantia deputatur. Quamvis ergo Petrus, quia electus erat, finaliter non defecerit: tamen ad tempus, dicente eodem *August. Tract. 66. in Job. p. 511.* timendo mortem carnis suæ, dedit mortem (ergo fide excidit) animæ suæ: quanta enim vita est, pergit idem, confiteri Christum, tanta mors est negare Christum. Augustinum autem non ad stipulatum in hac materia fuisse adversarijs, diserta ejus verba, loco antea allegato, testantur, dum ita inquit p. 791. de hominibus non electis: Qui verò perseveraturi non sunt, ac sic fide Christianâ & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat, procul dubio nec illo tempore, quo bene pieq; vivunt, in isto numero (electorum) computandi sunt. Clarius id exprimit *pag. 792.* mirandum est

est quidem, multumq; mirandum, quod filijs suis Deus quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam. Quid clarius pro sententiâ nostrâ dici potest? Chrysostronus fidem Petri omnino non evanuisse dicens, nihil aliud vult, quàm finaliter fidem ejusdem non defecisse. Quod vel inde patet, quod Petrum pavore ita superatum dicat, *Hom. 86. in cap. 26. Matth.* ut Christû abnegarit, ac miseræ vilisq; puellæ verba ferre non potuerit, nec semel modò, nec secundo, sed etiam tertio, nec id quidem coram iudicibus. Et lapsum, dicente eodem Chrysostrono, à seipso non senserit, sed magistri admonitione indiguerit. Unde, quid ille de lapsu hoc senserit, facile colligi potest. Secundùm Chrysostronum enim 1. Petrus à peccato superatus. Ergo servus fuit peccati 2. *Pet. 2. v. 19.* servus autem peccati, liber est à iustitiâ *Rom. 6. v. 20.* atq; sic fide excidit. 2. extra periculum evidens miseræ vilisq; puellæ verba ferre non valens, non semel, non bis, sed & tertio Christum Dominum, sine necessitate addito juramento, abnegavit. 3. ne quidem coram iudicibus, vitæ ac necis potestatem habentibus. 4. lapsum non statim in seipso sensit, sed magistri admonitione indiguit. Hæc Chrysostronus.

33. B. Lutheri testimonium, quod Patrum testimonijs præferamus, à Wendelino adducitur, affirmantis! Christo adhærescentem abundè habere gratiæ, nec perire posse, etiamsi carnis imbecillitate adductus, lapsus fuerit, sicut sancto Petro accidit. Ex hoc Lutheri testimonio duo elicit Wendelinus confectaria 1. agnovisse Lutherum: Petrum ex infirmitate peccasse, non igitur ex destinata malitiâ, & plenâ voluntate. 2. posse eum, qui imbecillitate carnis adductus peccat & labitur, Christo nihilominus adhærescere. Respond. 1. distinguendo inter primum initium peccati Petrini, & ejusdem progressum. In primo initio fuisse infirmitatem cum aliquâ Spiritus adversus carnem periculum imminens exaggerantem, & abnegationem Christi suadentem, luctâ concedimus. Quæ tamen, Spiritu statim in Petro succumbente, & carne in progressu peccati victoriam obtinente, non diù duravit, postmodum enim Petrus Christum, plenè antea agnitum, voluntariè abnegavit. Nam

ex duobus objectis liberè elegit, quod caro Spiritum superans di-
 citavit. Interim quia Petrus post lapsum hunc suum gravissimum,
 statim egit poenitentiam, proinde non potuit perire. Rediit ergo
 ad fidem, quam lapsu perdidit. Et id non aliud, sicuti ex ipso jam
 ad oculum probabimus, Lutherus intendit. 2. infirmitatem ali-
 quam in peccato nondū plenè consummato admittere, ut Christo
 nihilominus verà fide adhæreamus, largimur. Verùm postquam
 infirmitas eò usq; progreditur, ut peccatum plenè externè perfici-
 atur & absolvatur, tum pugnant, adhærere Christo verà fide, &
 peccatum plenè perficere sive absolvere *Jac. 1. v. 15.* Qui enim car-
 nis desideriis obedit, nec Spiritu facta corporis mortificat, quomo-
 do ille Christo adhærere potest? Petrum autem liberè (electionem
 enim habuit) scienter, volenter, Christum addito horribili jura-
 mento abnegasse, eoq; ipso carnis desiderijs obtemperasse, nec Spi-
 ritu facta corporis mortificasse, ita evidens est, ut id nullâ ratione
 negari queat. Quomodo igitur eo tempore, ante actam poeniten-
 tiam Christo adhærere potuit? Qui eundem volenter, additâ horri-
 bili execratione, extra manifestum periculum ejuravit.

34. Hanc veritatem ex ipso Luth. cujus nobis à Wendelin.
 objecta auctoritas, probamus. In pio, Christo verà fide adhæren-
 te, homine requirit *Luth. Tom. 2. p. 343.* *Daß man die Sünde
 im Fleisch tödte.* Item *Tom. 8. p. 301.* *Daß man ihr nicht
 den Saum lasse. p. 302.* *Die Sünde werden dir nicht zu-
 gerechnet/so ferne du dich da wieder legest/mit wie-
 derstreben den vbrigen Sünden.* Item: *es kan da kein
 ernst/ noch rechter (NB) Glaube seyn/ da man den Sün-
 den nicht wiederstrebet.* Item: *darnach währe denn
 auch der Sünden/lege dich dawieder/zu kräfte dich mit ihr/
 laß sie nicht thun/was sie gelüftet* Item: *ob nu das Fleische
 seine Lück nicht lassen wil/so mustu ihm/wie gesagt/durch
 den Glauben vnd Geist wiederstehen vnd wehren.* Item:
die Sünde sol in vnserm Leibe nicht herrschen *Der Geist
 ist Herr im Hauße/ der sol auch die oberhandt haben/ vnd
 dich*

bich mit den lüsten im Zaum halten/ſa auch creuzigen vnd
dempffen. Denn also ſagt S. Paulus Rom. 8. Wo ihr
durch den Geiſt des Fleiſches geſcheffte tödret / ſo werdet
ihr Leben. p. 303. Die Sünde ſol nicht herrſchen in ewrem
ſterblichen Leibe / das iſt/ du ſolt Herr ſeyn / nicht deine
Sünde. Denn darumb ſind dir die Sünde vergeben/auff
daß du dawieder ſtreiten ſolt/ vnd das Feld behalten/ nicht
thun was das Fleiſch wil. Ex hiſce colligimus hanc fuiſſe Luth.
mentem: credentem in Chriſtum, quamdiu talem, carnis deſideria
non perficere. Sed Spiritum Dominum eſſe, cui caro debeat ob-
temperare & ſubjici. Quia itaq; in Petro, ter Chriſtum Domi-
num ad vocem inermis ancillæ abnegante, caro in primo conflictu
victoriam obtinuit, & Spiritus plane ſuccubuit; Hinc juxta Luth.
& ipſam veritatem, Petrus fidem excuſſit.

35. Ut autem de mente Lutheri, in hac materiâ eò magis con-
ſtet, & Wendelinus Zanchium ſecutus p. 370. illius autoritatem
non amplius nobis opponat, accuratè conſideret locum directè
ſententiæ huic oppoſitum ex Tom 6 p. 518-519. Luth. verba hæc ſunt:
Wiederumb ob etliche Kottengeiſter kommen würdē/ wie
vielleicht bereit etliche vorhanden ſind / vnd zur Zeit der
Aufſruhr mir ſelbſt für Augen kamen/ die da halten das
alle die/ ſo ein mahl den Geiſt oder vergebung der Sünden
empfangen hetten/ oder gleubig worden weren/ wenn die-
ſelbigen hernach ſündigten/ ſo blieben ſie gleichwol im
Glauben/ vnd ſchadet ihnen ſolche Sünde nicht. etc.
Darumb ſo iſt von nöthen zu wiſſen / vnd zu leren/ daß
wo die heiligen Leute ober das/ ſo ſie die Erbsünde noch ha-
ben/ vnd ſülen/ dawieder auch täglich büſſen vnd ſtreiten/
etwa in offentliche Sünde fallen/ als David in
Ehebruch/ Mord/ vnd (NB.) Gottſteſterung/ daß als-
denn (NB.) der Glaube vnd Geiſt weg iſt geweſt.
Denn der H. Geiſt leſt die Sünde nicht walten/ vnd ober-

handt gewinnen/ daß sie voll bracht werde/ sondern steuer
 und wehret/ daß sie nicht muß thun/ was sie will.
 Thut sie aber was sie will/ so ist (NB.) der hei-
 lige Geist vnd Glaube nicht dabey.

36. Hanc veritatem, quia ad Patres devenitum est, nobiscum
 apertè agnoscit Ambrosius Episcopus Mediolanensis sermone 46.
 Petrum ad similitudinem Evæ ostiaria mulier decepit. Est ergò
 eadem similitudo deceptionis in Petro, quæ in Adam fuit, quia pa-
 ri modo delinqvunt. Et post pauca: Et ideò Petrus jam non utitur
 sermone, quo fefellerat, quo peccarat, quo fidem amiserat. serm. 47.
 Petrus fidelior factus, postquam fidem perdidisse deslevit, atq; ideò
 majorem gratiam recepit, quàm amisit. Quem locum Wendelinus
 p. 287. eludere laborat, intelligendo per fidem confessionem
 fidei, vel fidelitatem Christo Domino debitam. Respond. Unius
 rei positio, non est alterius exclusio. Posito ergò Ambrosium in-
 tellexisse confessionem fidei, & fidelitatem Christo debitam. Certè
 qui illa duo volenter amittit, ipsam quoq; fidem perdit, confessio
 enim fidei in casu requisitionis, & ipsa fides ἀδαμαντίνως coherent
 Rom. 10. v. 10. Deinde falsum est, Ambrosium tantùm intellexisse
 confessionem, & non insimul ipsam fidem, quia expressè men-
 tionem facit gratiæ & fidei stabilitatis, quam Petrus abnegando
 perdidit. Insuper septies ad minimum mentionem facit fidei
 sermon. 47. & semper veram intelligit fidem, non nudam tantùm
 confessionem.

37. Tandem Zanchius Philippi auctoritatem nobis objicit. de
 persev. Sancti p. 383. urgentis discrimen peccatorum 1. Cor. 10. p. 245.
 ubi ex sententiâ Zanchij Philippus statuat, electos per infirmitatem
 peccantes retinere fidem & timorem Dei. Resp. Quod Zanchius
 Philippo ascribit falsissimum esse, ex ipso Philippo optimo sui ipsi-
 us interprete, ὁφθαλμοφανέως probabimus. Loc. de peccat.
 Actual. p. 175. ita inquit: Quod enim aliqui imaginantur, electos
 ruentes contra conscientiam non effundere Spiritum Sanctum,
 manifestus est error, & necessariò reprehendendus Adam & Eva
 erant

erant electi, & tamen reverà amiserunt Spir. S. lapsu, averſi à Deo, & facti sunt rei æternæ iræ. Item: verè sentiamus, Deum fuisse iratum Aaroni, nec Aaronem tunc fuisse in gratiâ, sed reum æternarum pœnarum. Tandem concludit loco allegato Philippus, directè contradicens in hac materiâ adversariis, ut alicui mirum videatur, qui fiat eosdem ad Philippi auctoritatem ita inconsideratè confugere. Manifestum est, inquit, electos & renatos posse amittere gratiam. p. 369. non recipiendæ sunt fanaticæ imaginationes eorum, qui fingunt, semel renatos non posse effundere Spirit. S. Quid clariùs pro nostrâ sententiâ dici posset: Quod igitur locum à Zanchio objectum attinet, in eo nihil aliud dicitur, quàm duo esse peccantium genera, ibidem expressorum; Eo ipso autem non inferitur, renatos opera carnis perfecta exercentes non amittere Dei gratiam, sicuti ex ipso Philippo contrarium asserente, jam audivimus. Et testatur idem, in Epist. ad *Timoth.* p. 303. Deum irasci peccatis in omnibus, tam in Davide, quàm in Saule. Et in specie in *Job* p. 857. de lapsu Petri inquit: extat igitur testimonium, quòd & labi possint renati, & lapsi rursus ad Deum converti, & quod verè recipiantur. In *Psal.* 112. p. 784. Sancti quando repugnant pravis motibus nec obtemperant, sicut Joseph repugnabat libidini, expetitus à conjugè Domini sui: Ita sunt delicta venialia, id est, condonata in sanctis, & manent simul Spiritus S. & fides. Sed mortalia fiunt, cum vitiosis actibus obtemperant contra conscientiam, & dicuntur mortalia, quia propter hæc amittunt Spir. S. & fidem, & ruunt homines in æternam mortem, nisi postea rursus agant pœnitentiam & convertantur. Confer eundem directè adversarios refutantem *Dom* 3. post. *Trinit.* p. 100. 101. adeò ut mirum sit Zanchium toties ad Philippi auctoritatem in hac materiâ provocare, ut videre est de persever. sanct. p. 106. 109.

38. Sed urget imprimis Wend locum *Luc.* 22. v. 32. Ego rogavi pro te, ne deficiat fides. Unde ita colligit: Pro quo Christus rogavit, ne fides deficiat, ejus fides non defecit. Atqui Christus pro Petro rogavit, ne fides ejus deficiat (*ὡς μὴ ἐκλείπῃ*.) Ergò Petri fides non defecit. Respondemus cum Augustino ex Libro de corrept.

rept. & Grat. *Cap. 6. p. 717.* distinguendo inter perseverantiam usq;
 in finem, & inter lapsum à fide temporalem. Quod Christus Pe-
 tro rogavit, id quoq; Petrus accepit. Quid autem ei, dicente Augu-
 stino, rogavit, nisi perseverantiam? quæ tamen cum lapsu temporali
 subsistere potest, affirmante eodem *Augustino p. 791.* Si qui sunt
 (electi) quorum deficit (fides) reparatur, antequam vita ista finia-
 tur. Respondet Wendelinus glossam hanc esse contrariam sacro
 textui, quia vox ἐκλείπειν, quæ Christus utatur, significet totaliter
 deficere. Unde μὴ ἐκλείπειν actum rei existentis notet continuum
Hebr. 1. v. 12. Et Christum non dicere: ne deficiat fides tua finaliter,
 sed simpliciter, ne deficiat fides tua. Si ergò totaliter fides Petri ad
 tempus defecit, sequeretur Christi precationem esse irritam. Resp.
 verbum ἐκλείπειν de Deo ejusq; essentiali immutabilitate usurpa-
 tum, denotare actum rei existentis continuum, per se notum est &
 illud indicat locus *Hebr. 1. v. 12.* Argumentari verò à Dei immutabi-
 litate, ad ipsam fidei in homine existentiam continuam non licet,
 cum à diversis mala fiat illatio. Manasses, latro in cruce, & ipse
 Paulus fuerunt electi, & tamen illo tempore, quando fecerunt
 opera carnis, non habuerunt fidem. Quamvis itaq; Christus toti-
 dem verbis non addiderit vocem finaliter, illam tamen necessariò
 subintelligendam, partim ex dictis in Thesisbus præcedentibus
 constat, partim ex dicendis evidens erit. Immotum enim est princi-
 pium Theologicum: hominem opera carnis perfecta scienter & vo-
 lenter patrantem, non habere Spiritum S. gratosè inhabitantem,
 neq; fiduciam in Deum filialem. Quia itaq; Petrus sciens & volens,
 sine imminentis mortis evidenti periculo, inermis ancillæ alloquio
 permotus, Christum non semel, sed ter, idq; non nudè, sed addito
 horribili juramento & dirâ execratione, negavit, quomodo fidem,
 cum quâ, dicente Wittakero, abnegatio Christi maximè pugnat,
 retinere potuit? Fides secundùm Wend. in *Chr. Th. cap. 27. p. 445.*
 est immòta specialis misericordiæ fiducia, & applicatio meriti Chri-
 sti, includens dilectionem omnes adversitates superantem, & Ursin.
 in *Catech. p. 262.* nihil aliud est, quàm fidelis recordatio Christi, ac
 beneficiorum ejus. Quomodo igitur ille Christum cum beneficiis
 scienter

scienter, volenter, ac horribiliter abnegans, fidem jam descriptam, adversitates omnes superantem retinere potuit? Precatio itaq; Christi ad continuam, seu nunquam interruptam fidei Petrinæ continuationem, tempore voluntariæ sine evidente mortis periculo abnegationis, & horrendæ execrationis referri, salvâ fidei analogiâ, nequit, sed necessario ad finalem perseverantiam extendenda. Quod ulterius ita probamus, præsupponentes ceu indubitatum: Christum oratione suâ pro fide Petri, nihil petiisse verbo revelato repugnans. Primò ergò negari nequit: opera carnis perfecta, excludere hominem à regno cœlorum *Gal. 5. v. 21.* peccatum perfectum gignere mortem *Jac. 1. v. 15.* ubi quis obedit peccati cupiditatibus *Rom. 6. v. 12.* & secundùm carnem vivit, spiritualiter moritur *Rom. 8. v. 13.* Qui in periculis non odit animam suam, non potest Christi esse discipulus *Luc. 14. v. 26.* Qui animam periculi metu vult servare, illam perdit *Matth. 16. v. 25.* Qui aliquid plus ipso Christo diligit, hic illo indignus est *Matth. 11. v. 36.*

39. Proinde ex Wendelini hypothese Christus orasset Patrem, ne tempore voluntariæ abnegationis, & subsecutæ horribilis execrationis deficeret fides, quamvis Petrus opera carnis perfecta, volenter extra manifestum mortis periculum fecerit, secundùm carnem vixerit, & cupiditatibus peccati obedierit, animam suam in periculis non oderit, sed illam Christum postponendo servare studuerit. Quod cùm sit contra scripturam, hæc tamen aliquoties allegatam, agnoscat tandem Wendelin. Christi preces, pro fide Petri fusas, respexisse tantùm finalem perseverantiam, non illud abnegationis voluntariæ interstitium, & quasi punctum intermedium. Proinde Christi preces pro salute Petri non fuerunt irritæ, quod tamen ex nostrâ sententiâ Wendelinus infert. Quia enim post abnegationem statim ad Christi intuitum egit pœnitentiam, rediit in viam, unde voluntario peccato, & horribili execratione digressus erat. Hinc salus Petri non fuit finaliter periclitata.

40. Excipit: Christum promittere victoriam contra Satanam. At quæ hæc fuisset victoria, si fidei scutum Petro Satan prorsus excussisset? Respond. Ne quidem in Politicis procedit, ut ille dica-

M

tur

tur amisisse victoriam, qui aliquantulum succumbit, postmodum tamen statim refurgit, & arma victricia resumit. Nam sæpè etiam victis redit in præcordia virtus. Victoria itaq; æstimatur ab ultimo eventu, non ab actu aliquo intermedio. Quid enim lucratus est Diabolus, instigando Petrum ad nefandam illam abnegationem, nisi quòd libidinem suam & hominibus nocendi studium, ac in Christum odium eo ipso probavit, saluti interim Petri, finaliter in fide ob Christi preces perseverantis, nihil nocuit *Matth. 10. v. 22.* Sed eundem potius contra se vigilantiozem reddidit, ut ad mandatum Christi, post conversionem alios contra Diabolum armare docuerit *1. Pet. 5. v. 8. 9.* Et sine dubio aliquot millia hominum voce & scriptis è faucibus Diaboli Petrus liberavit, tentatus enim & seductus miserè à Diabolo, potuit alijs lapsis & seductis succurrere. *conf. Hebr. 2. v. 18.* Ignominiam ergò potius & damnum, quàm victoriam Diabolus seductione Petri reportavit. Quamvis Diabolus aliud intenderit, dum ceu triticum discipulos, & in specie Petrum cribrare, eumq; tanquam paleam in gehennam præcipitare voluit. *LUC. 22. v. 31.*

41. Regeritur: Christus rogavit pro illà ipsà fide, quã præditus erat Petrus, Christo rogante. Si ergò illa penitus est extincta, & alia numero restituta, utiq; non fuit exauditus, non enim obtinuit quod voluit. Resp. nescit Scriptura aliam fidem salvificam, præterquam unam *Eph. 4. v. 4.* illa si per peccata repugnantia ad tempus amittatur, & postmodum actà poenitentia restitatur, non alia numero fides est, sed illa ipsa Unica fides est salvifica, unicum illud objectum, Christum scil. respiciens. Sic ovis illa perdita, & drachma amissa *LUC. 15. v. 46. 8. 9.* non alia post repertionem fuerunt. Dicit enim textus: Inveni ovem, quæ perierat, reperi Drachmam, quam perdideram. Sic *LUC. 7. v. 12* morte perdidit filium vidua, cujus Christus misertus, restituit non alium numero, sed eundem filium. Refedit enim, qui mortuus erat, & dedit illum matri suæ *v. 15.* Ita eadem amissa fides, seu fiducia in Christum, ejusq; meritum Petro poenitentiam agenti fuit restituta, non alia numero.

42. Pergit excipere: nisi fidei semen in Petro mansisset, ad solum Christi intuitum (*LUC. 22. v. 61.*) veram & salutarem poenitentiam

tiam non potuisset agere. Pœnitentia enim, inquit, nisi ex fide proficiscatur, salutaris non est. Non magis facti verè & salutariter pœnituisset Petrum, quàm Judam, quem non intuitus tantùm Christus, sed & amicè affatus est. Resp. 1. repetenda sunt, quæ *Thef. 29.* ad hoc argumentum dicta. 2. mansit in Petro fides historica, cujus beneficio recordatus est verbi Jesu dicentis: priusquàm gallus bis cecinerit, ter me negabis. Postquam ergò Christus illum intuitus est, non, ut Judas, factum negavit, aut desperavit, ac seipsum suspendit, sed amarè flevit. Hinc autem non magis probatur, ante actam pœnitentiam in illo fuisse fidem, quàm in impio Manasse, pessimo Idololatrâ, & Prophetici dâ in ipsâ captivitate demùm pœnitentiam agente. *2. Par. 33. v. 13.* Fides enim tempore non præcedit pœnitentiam, sed quia essentialiter eam tanquam pars ingreditur, simul cum salutari pœnitentiâ, Deo auctore & datore *Joh. 6. v. 29.* existit. Ex Petri ergò pœnitentiâ nullo modo probatur, ante eandem tempore durantis horrendæ abnegationis in Petro mansisse aut latuisse fidem, Christum apprehendentem. Causa autem, cur Judas ad amicum Christi alloquium, pœnitentiam non egerit, ex textu, ut paulò ante dictum, evidens est. *Matth. 26. v. 25. c. 27. v. 5.*

43. Sed inquit: quî posset cum hac apostasiâ conciliari illud Johannis: *1. Joh. 3. v. 9.* semen Dei manet in illo. Respond: Argumentari ab hominibus ex Deo natis, quâ talibus, de quibus, quamdiù tales sunt & manent, rectè dicitur: semen Dei manet in illis; ad eosdem, donum renascentiæ excutientes, est inconsequentiâ sædissima. Quomodo enim sequitur: in homine ex Deo nato, id est, regenito, semen fidei manet. Ergò & in homine viribus suis humanis confidente, & propter periculum mortis imaginarium, ad vocem inermis miseræq; ancillæ, Christum mediatorem unicum scienter & volenter, addito anathematismo & horribili execratione, abnegante, fides seu fiducia filialis manet! Quâ de re in subsequentiis disputationibus, cum Deo, plura.

44. Tandem concludit Wendelin. dicens: Si ita fas est scripturam interpretari, rogavi ne deficiat fides &c. eodem modo cavillari licebit, in nuptiis Cananæ non defecisse vinum, quia finaliter

ter

ter non defecit, cum textus tamen dicat: defecisse vinum. Defectus igitur sive defectio, non ad tempus primario, sed ad rem, refertur. Respond. distinguendo inter vinum illud physicum, à neonymphis nuptiis destinatum; & inter vinum illud divinâ Christi potentiâ miraculosè productum. Prius vinum finaliter defecit, & eò respicit textus *Joh. 2. v. 3.* Quia verò Christus $\Phi\iota\lambda\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi$ defectum illum, productione miraculosâ novi vini ex aquâ, resarsit. Hinc vinum illud ultimum non defecit. Ergò à diversis, & quidem in multis rebus differentibus pessima fit illatio. Quæ enim consequentia; deficiente finaliter vino illo physico, Christus miraculosè, productione novi vini, illum defectum compensavit, adèd ut hoc respectu vinum in nuptiis Cananæis defecisse in textu nullo modo dicatur. Vinum itaq; illud miraculosè productum non defecit. Assertio enim defectus vini naturaliter producti non infert, vinum miraculosè solâ Christi potentiâ productum defecisse. Quamvis ergò textus rectè dicat: $\upsilon\pi\epsilon\rho\sigma\omega\upsilon\tau$ $\textcircled{\text{C}}$ $\acute{\omicron}\iota\nu\varsigma$, deficiente vino. Item: $\acute{\omicron}\iota\nu\omicron\nu$ $\acute{\epsilon}\kappa$ $\acute{\epsilon}\chi\theta\acute{\omicron}\tau$, vinum non habent. Non tamen sequitur per cavillationem aliquam, ut censet Wend. vinum miraculo productum defecisse. Rectissimè ergò dico; Vinum miraculo productum in nuptiis illis Cananæis non defecit. Et eo respectu fieri potest comparatio vini istius cum fide Petrinâ, hoc modo: Quæ admodum vinum divinâ Christi potentiâ productum non defecit in nuptiis illis: ita fides Petri finaliter non defecit. Sicut autem vinum illud naturale verè defecit: non aliter fides Petri, tempore horribilis istius abnegationis, ad tempus verè eclipsiu passa fuit. Ut enim aqua exstinguit ignem: ita voluntaria imprimis Christi abnegatio fidem subvertit & interimmit, sicut ex hæcenus dictis liquidò satis constat. Atq; sic aliquot illustribus exemplis Thesin nostram in hac materiâ probavimus. Quia verò exempla multum movent, subsequenti discursu idem thema exemplis aliis, additis insuper pro sententiæ nostræ stabilimento apertis Scripturæ locis, confirma-

binus. Hic ergò hac vice finis

esto, &

SOLI DEO GLORIA.





On amat in cœno vitiorum figere sedem
 Spiritus ille sacer, contermina pectora cœlo
 Immittens; misce te mundi fecibus, atq;
 Sacratum expelles numen; scelerumq; Magistro
 Laxabis portas. hoc his, DECKERE, docere
 Attentas thesibus. Laudo conamina, perge


Vitam sanctè agere, & vitiorum semina sperne,
 Sic sanctum numen sancto spiramine mentem
 Purgabit, simul & veri te luce beabit.

JOHANNES QUISTORPIUS, D.
 & Theol. Facult. Senior.

Est basis & rupe fidei tutissima Christus,
 Hanc vivus, salvus, qui tenet, usq; manet.
 Si malefana fidem mens excutit; excidis illo,
 A quo pendebat spes tua, vita, salus.
 Fugiter ergo fide standum, nam vita salusq;
 Perstat nostra fide stante; cadente perit.

Præstantissimo Dn. C. Deckero de hoc
 argumento disputanti adscribebat;

M. CHRISTIANUS MICHAËL,
 Eccl. Rostoch. Pastor ad
 S. Jacobi.



Christophorum narrant humero portasse Gigantis
 CHRISTUM, qui mundi crimina cuncta tulit.
 Hunc longè melius mihi tu gestare videris,
 Christophore, ingenuo pectore & ore simul.
 Ad vitam ipsius merito est electio facta,
 Quam tu propugnans, cordeq; & ore refers.
 Sic tu Christophorus verè es; sed perge ferendo
 CHRISTUM, & ei soli vive, beatus eris.

Ita grat.

M. DANIEL SIMONIUS, March.

Vitam, quam *vrvis* Jovæq; piisq; probatam
dicere prolixo carmine, non opus est.
Laudat eam captum hoc, fidei quo dogmata Zanchi
adversus furias consolidare studeas.
Dignos te fructus! Si perges, elige, dici
annè velis doctum te magis, annè pium?

Ex animo benivolo Dn. Respond.
amico suo certisf.

JOHANNES CRÖCHEL,
Holsatus.

NOs Deus ad vitam, quotquot sumus, eligit, & quàm
Efformaretur prius ad spectabile mundi
Systema. Elegit, simul ac peccantibus in se,
Criminis & vitij veniam dedit, unica mentis
Quæ tabula est quasi post naufragia. Seligit: ergo
Non omnes (Calvine tuum sonat impie dogma.)
Salvari Deus ipse cupit. Vult quemlibet esse,
Participem vitæ, vitam nolentibus æquâ
Conditione Deus, quâ præbet, surripit, *ut sic*
Excidat electus factò quoq; sedere secum,
Peccans. Quod quando dicit DECKERUS, eidem.
Laudis iter pergat decurrere strenuus, opto.

BALTHASAR FRISIUS,
Colmariâ-Holsatus.



tiam non potuisset agere. Pœnitentia enim, inquit, nisi
 ficiscatur, salutaris non est. Non magis facti verè & salu
 nituisset Petrum, quàm Judam, quem non intuitus ta
 stus, sed & amicè affatus est. Resp. 1. repetenda sunt, qu
 ad hoc argumentum dicta. 2. mansit in Petro fides hist
 beneficio recordatus est verbi Jesu dicentis: priusquàm
 cecinerit, ter me negabis. Postquam ergò Christus illu
 est, non, ut Judas, factum negavit, aut desperavit, ac seipsi
 dit, sed amarè flevit. Hinc autem non magis probatur,
 pœnitentiam in illo fuisse fidem, quàm in impio Manassè
 Idololatrâ, & Propheticidâ in ipsâ captivitate demùm po
 agente. 2. *Par. 33. v. 13.* Fides enim tempore non præcedi
 tiam, sed quia essentialiter eam tanquam pars ingreditur,
 salutari pœnitentiâ, Deo auctore & datore *Joh. 6. v. 29.*
 Petri ergò pœnitentiâ nullo modo probatur, ante eandem
 durantis horrendæ abnegationis in Petro mansisse aut
 dem, Christum apprehendentem. Causa autem, cur Juc
 cum Christi alloquium, pœnitentiam non egerit, ex tex
 lô ante dictum, evidens est. *Matth. 26. v. 25. c. 27. v. 5.*

43. Sed inquit: qui posset cum hac apostasiâ con
 Johannis: 1. *Joh. 3. v. 9.* semen Dei manet in illo. Respo
 mentari ab hominibus ex Deo natis, quâ talibus, de quib
 diù tales sunt & manent, rectè dicitur: semen Dei ma
 ad eosdem, donum reascentiæ excutientes, est inc
 tia fœdissima. Quomodo enim sequitur: in homi
 nato, id est, regenerito, semen fidei manet. Ergò & in
 viribus suis humanis confidente, & propter periculum m
 ginarium, ad vocem inermis miseræq; ancillæ, Christi
 torem unicum scienter & volenter, addito anathematism
 bili execratione, abnegante, fides seu fiducia filialis man
 re in subsequentibus disputationibus, cum Deo, plura...

44. Tandem concludit Wendelin. dicens: Si ita
 pturam interpretari, rogavi ne deficiat fides &c. eodem
 villari licebit, in nuptiis Cananæis non defecisse vinum,

